

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0723

0721

0727

0717

0732

0712

0772

0672

0822

0622

0222

Ende

Anfang

150

non nisi quasi curvatus potest consistere. Nec ecclesiae eorum sunt multo ambitiosiores tabernaculis monachorum, quae similius de contextis virgulis paries habent luto obtectos, altitudine duntaxat praestantiores monachorum tabernaculis. In vestitu eorum nihil pretiosum, nihil decorum appetit, etiam hodie, quamvis moderni monachi orientales longe sint a perfectione suorum antecessorum, qui in melotis et pellibus caprinis et contextis de plectis palmarum palliis incedebant, et plerique nudi diei calores et noctis algores sustinebant multis annis, non habentes alia habitacula nisi petrarum cavernas, nec certo loco manebant, sed deserti intima penetrabant, longius se ab hominibus elongabant, et hi nec pro convictu nec amictu sollicitabantur. Cibus etiam omnium orientalium et potus, et potissime monachorum, est tenuissimus, et vinum saeculares communiter non bibunt nisi raro, monachi numquam. Et ita parcissimis expensis vivunt. Sed monachi occidentales e contrario lautissimis expensis nutriuntur. Unde S. Jeronymus in quadam epistola contra eos invehitur dicens, eos usque ad vomitum satiari. Propter quod dictum inimicabantur sibi occidentales monachi. Quidam autem vir sanctus, monachus occidentalis, cum id diceretur dictum a S. Jerome, respondit: Jeronymum in hoc reprehendisse quosdam crupulosos monachos orientales, dicens, quod edacitas, quae occidentalibus est natura, orientalibus est gula, ut habetur in Spec. Histor. L. 18. c. 10. et 12. Ubi etiam habetur, quod quidam monachi occidentales desertum Aegypti ingressi, ut viderent monachos orientales, quidam ad cellam cuiusdam senis venissent, et post orationem et exhortationem ad mensam invitati a sene sedissent, apposuit ipsis quinque fratribus dimidium panem hordeaceum et fasciculum herbae, quae similis mentae erat, exuberans foliis mellei saporis. Hanc annonam quinque fratribus appositam cum unus devorasset, et nullo modo satiatus fuisset, licet pro decem monachis orientalibus sufficiens fuisset. Inaequalis nempe est conditio corporum orientalium et occidentalium, quia dissimili affluxu afficiuntur corporum coelestium. Et ideo certa veritas est, quod multa sint occidentalibus necessaria ex natura, quae orientalibus essent superflua, et vitiosa gula, et hoc tam in

